hominibus sive officialibus fieri nullatenus concedimus, ut ne propter rerum desiderium inveniantur injuste aliquos castigantes, aut peccantes vendere. Si enim præter hæc fiat : ipse provinciæ judex omne ex hoc accidens damnum læsis medebitur : et suppliciis subjectus, exilio tradetur : et consiliarius eis simile sustinebit supplicium, si factis a judice contra leges, in scriptis consentiat. Officium vero ejus, et alii qui circa hoc propter lucrum proprium ei obsecundant : non solum damna læsis compellentur restituere : sed culpabiliores eorum legalibus suppliciis subjecti, exilio tradentur.

CAP. V. *Ut rei criminum edictis legitimis evocentur.*

Si[14] vero quis comprehensorum criminum latuerit, aut reliquerit provinciam illam[15] in qua crimina deliquit, jubemus legitimis edictis[16] a judice evocari[17] eum : et si non obediat, illa in eum procedere quæ nostris legibus definita sunt. Si vero cognoscatur quod in alia provincia degit, jubemus provinciæ illius judicem in qua peccari quid hujusmodi contigerit, epistola publica[18] uti ad provinciæ illius judicem, in qua delinquens persona degit, illum vero qui publicas susceperit literas, et periculo suo et officii sui comprehendere hujusmodi et ad judicem provinciæ transmittere in qua peccavit, suppliciis legitimis subjiciendum. Si vero qui publicam epistolam susceperit, neglexerit hoc facere, aut officium ejus tradere, aut imperata neglexerit : tunc et ipsum judicem tres auri libras, et officium ejus alias tres pro pœna inferre jubemus. Si vero judex aut aliquis officii ejus propter lucrum hujusmodi personam non comprehendat, aut comprehendens non transmittat, et hoc agens convincatur : spoliatus cingulo, exilio tradatur.

CAP. VI. *Ut judex compleat quod decessori mandatum est.*

Et hoc vero jubemus observari ab omni administratore, ut si contigerit in scriptis nostram jussionem fieri ad aliquem judicem, et interea iste quiescat ab administratione : is qui post illum susceperit dignitatem, accipiat[19] eam, et insinuet, et siquidem privata est causa : et implere eam, et assequi quemadmodum ad eum promeruit rescriptum. Si vero hujusmodi in scriptis jussio publicum respicit, inquirat eam, et siquidem non lædatur fiscus, quæ in ea comprehensa sunt, adimpleat. Si vero ad læsionem est fisci, nihil super ea omnino agi : nuntiare vero nobis primum, ut secunda nostra fiat de hoc jussio. Si vero et præcepta cujuslibet judicis sint, et priusquam insinuentur hæc, aut præcipientem, aut ad quem præcepta facta sunt, contigerit removeri de cingulo : sic qui factus fuerit judex, hæc suscipiat et exigat, si legitime facta sunt : si vero contra legem, aut contra publicum facta sunt, hæc pro non scriptis esse jubemus.

CAP. VII. *Ne quis creditor filium*[20] *debitoris pro debito retinere præsumat.*

Quia[21] vero et hujusmodi iniquitatem in diversis locis nostræ reipublicæ cognovimus admitti, quia creditores filios debitorum præsumunt retinere aut in pignus, aut in servile[22] ministerium, aut in conductionem : hoc modis omnibus prohibemus : et jubemus, ut si quis hujusmodi aliquid deliquerit, non[23] solum debito cadat, sed tantam aliam quantitatem adjiciat dandam ei qui retentus est ab eo, aut parentibus ejus, et post hoc etiam corporalibus pœnis ipsum subdi a loci judice : quia personam liberam pro debito præsumpserit retinere, aut locare, aut pignorare.

CAP. VIII. *De intercessionibus mulierum.*

Et illud vero prævidimus pro subjectorum utilitate corrigere, ut si[24] qua mulier crediti instrumento consentiat proprio viro, aut scribat, et propriam substantiam aut seipsam obligatam faciat : jubemus nullatenus[25] hujusmodi valere aut tenere, sive semel, sive multoties[26] hujusmodi aliquid pro eadem re fiat : sive privatum sive publicum sit debitum : sed ita esse ac si neque scriptum esset : nisi manifeste probetur, quia pecuniæ in propriam ipsius mulieris utilitatem expensæ sunt.

CAP. IX. *Ne mulieres in carceribus includantur.*

Necessarium[27] vero credimus et illud competenti adjutorio emendare[28], ut nulla mulier de qualibet re includatur[29], aut custodiatur : sed si quidem pro fiscalibus debitis aut privatis pulsetur, secundum legem mulier aut per virum suum, aut per se, aut per quam voluerit personam legitime respondeat, et transigat rem. Si vero vidua sit, aut non a principio viro conjuncta : liceat similiter mulieri aut per se aut per quos voluerit propria jura proponere secundum legem. Eum vero qui præter hæc præsumpserit agere aliquid prædictorum, jubemus siquidem majores judices sint, viginti auri librarum : si vero minores sint, decem librarum auri pœnæ subjacere : obedientes autem eis in prædictis causis, spoliatos cingulo, pœnis subjici, et in exilium destinari. Si vero mulier post legitimam admonitionem noluerit instituere aliquem, qui pro ea respondeat, aut litigans addicta sit, nec sic includi aut custodiri eam, sed legitima jura in competentibus ei rebus procedere. Si vero crimen sit quod infertur mulieri, in quo necessarium est ipsam custodiri : siquidem fidejussorem personæ præstare potest, ipsi credatur. Si vero juraverit *non posse se dare fidejussorem*, juratoriam[30] cautionem faciat, de observatione judicii. Si vero gravissimum inveniatur crimen in quo accusatur, in monasterium aut in asceterium mittatur, aut mulieribus tradatur, per quas potest publice et libere custodiri, donec causa ejus manifestetur : tunc autem illa procedant in eam, quæ legibus definita sunt. Nullam enim mulierem pro pecunia fiscali sive privata causa, aut pro criminali quolibet modo, aut in carcerem mitti concedimus, aut a viris custodiri : ut non per hujusmodi occasiones inveniantur circa castitatem injuriatæ. Monastriam quidem aut ascetriam per nullam actionem trahi concedimus de propriis monasteriis aut asceteriis.

CAP. X. *Quæ sit mulieris adulteræ pœna.*

Si[31] quando vero adulterii crimen probetur; jubemus illas pœnas peccantibus inferri, quas Constantinus divæ memoriæ disposuit[32] : et illis similibus subjiciendis pœnis, qui medii[33] ministri hujusmodi impio crimini facti sunt. De substantia vero adulteri, si habeat uxorem, dotem et propter nuptias donationem ei salvari : aut partem a nostra lege datam, si dotalia instrumenta non subsequuta sunt; residuam vero ejus substantiam, siquidem sint ascendentes aut descendentes usque ad tertium gradum, accipiant hi secundum ordines et gradus. Si vero non sunt hujusmodi aliqui, fisco applicari hæc jubemus. Adulteram vero mulierem competentibus vulneribus subactam, in monasterium[34] mitti : et si quidem intra biennium recipere[35] eam vir suus voluerit, potestatem ei damus hoc facere, et copulari ei nullum periculum ex hoc metuens : et nullatenus propter ea quæ in medio tempore facta sunt, nuptias lædi. Si vero prædictum tempus transierit, aut vir, priusquam recipiat mulierem, moriatur, tonderi eam, et monachicum habitum accipere, et habitare in ipso monasterio in omni propriæ vitæ tempore : et si quidem habeat descendentes, duas[36] partes accipere eos substantiæ, secundum legum ordinem divisas, reliquam vero tertiam partem monasterio, in quod mittitur, dari. Si vero descendentes non fuerint, sed ascendentes inveniantur non consentientes hujusmodi iniquitati : quatuor uncias eos secundum leges divisas accipere : octo vero uncias dari monasterio in quo includitur hujusmodi mulier. Si vero neque descendentes neque ascendentes habeat, aut ascendentes consenserint hujusmodi iniquitati : omnem ejus substantiam accipere monasterium illi conservandam : ut per omnes casus viro pacta dotalibus illata instrumentis serventur.

CAP. XI. *Pœna*[37] *injusti repudii.*

Quia[38] vero aliqui nostram legem[39] transcendere student, in qua evidenter causas enumeravimus, ex quibus solum repudia possunt transmitti aut a viro, aut a muliere, jubemus præter illas causas nullo modo repudia fieri, aut per consensum[40] nuptias solvi, et concedere invicem delictis. Si vero præter a nobis definitas causas præsumpserint aliqui solvere matrimonium : jubemus si quidem descendentes habuerint sive ex ipso sive ex alio matrimonio, substantiam eorum illis dari secundum legum ordinem, et tam[41] virum quam mulierem in monasterium mitti in omnibus vitæ suæ temporibus et de singulorum facultatibus quaternas uncias monasteriis, in quibus mittuntur, separari : viro nihilominus neque[42] usum habente datæ partis filiis : quoniam pater rerum filii in potestate positi non habet usumfructum. Si vero descendentes non habeant, sed ascendentes inveniantur : tertiam partem substantiæ accipere eos, si non iniquitati solutionis matrimonii consenserint, duas vero partes monasteriis, in quibus unusquisque mittitur, separari. Si vero neque descendentes neque ascendentes inveniantur, et ascendentes consenserint facto : jubemus omnem substantiam monasteriis, in quibus missi sunt, dari : ut non propter hunc contemptum, et Dei judicium contemnatur, et nostra lex transgrediatur. Sed et ministros talis solutionis nuptiarum, aut qui hujusmodi infanda instrumenta composuerint, corporalibus pœnis subjici

14. Authent. Si vero, C. ad leg. Jul. de adulter.—15. N. 69, c. 1; L. 1, C. ubi de criminib.—16. L. 10, D. de publ. judic.; L. 1, § 2, D. de requir. vel absent. damn.—17. L. 6, C. de accusat. —18. N. 17, c. 14, Edict. Justin. 13, c. 23.—19. *Fac.* L. 10, in pr. D. de offic. procons.; L. 76, D. de judiciis.— 20. N. 82; *adde* tit. C. ne filius pro patre.— 21. Authent. Imo a debito, C. de oblig.—22. L. 13, C. d. t.— 23. d. Authent. Imo a debito.—24. Authent. Si qua mulier, C. ad SC. Vellej.—25. L. 2, D. d. t.—26. *Vide tamen* N. 61 c. 1, § 1 et seq.—27. Authent. Hodie, C. de custod. reor. Authent. Sed hodie, C. de offic. divers. judicum. — 28. *Abrogat.* L. 3, C. de custod. reor. — 29. L. 3, C. de offic. divers. judic. — 30. N. 112, c. 2, in fin. pr — 31. Authent. Idem est, C. de bon. quæ liber.— 39. d. N. 117, c. 8, 9, 10. — 40. *Abrog.* N. 22, c. 4. — 41. d. N. 127, c. ult. — 42. Authent. Idem est, C. de bon. quæ liber

jubemus, et in exilium destinari. Si vero ii qui matrimonium solvere præsumpserunt, voluerint iterum sibi conjungi priusquam mittantur in monasterium : licentiam eis damus hoc facere, et prædictas pœnas concedimus eis, et proprias habere substantias, et ita adinvicem vivere, tanquam si nihil delictum fuisset. Uno vero volente matrimonium revocare : si non consentiat alia persona : contra eum qui noluerit teneant pœnæ. Hæc vero omnia servari tam in regia hac civitate quam in provinciis, tam a comite privatarum quam a palatinorum schola, et provinciarum judicibus et officiis eorum : scientibus quod si neglexerint hujusmodi alicujus delicti, et non omnia hæc custodierint, et exilium et proscriptionem bonorum sustinebunt. Hæc vero jubemus servare locorum sanctissimos episcopos, ut providentia eorum traditæ personæ in monasteriis mittantur : et de rebus earum quod a nobis definitum est, monasteriis vindicetur.

CAP. XII.

Si quis vero accusatus de adulterio, per proditionem judicum, aut alio quolibet modo a legibus pœnas effugerit, et post hoc inveniatur cum muliere, de qua accusatus est, turpiter conversatus, aut in[43] matrimonium accipere eam, et hoc fiat vivente marito, aut post ejus mortem : neque matrimonium valere jubemus : sed eum qui hoc delinquere præsumpserit : et si prius profugerit, attamen licentiam damus omni judici et comprehendere eum, et post tormenta ultimis suppliciis subjicere : nulla alia excusatione aut probatione facienda : et mulierem castigatam, et detrusam monasterio immitti jubemus : et ibi manere in omne tempus propriæ vitæ : utriusque vero substantiam secundum prædictum ordinem dividi periculo (sicut prædiximus) tam comitis privatarum quam judicis loci.

CAP. XIII. *De pœnarum omnium moderatione.*

Quia[44] vero nos oportet humani generis infirmitatem protegere : corporales pœnas secundum aliquas partes imminuentes, interdicimus alterutras manus aut pedes[45] abscindi, aut hujusmodi quædam inferri supplicia, per quæ articuli dissolvuntur : quia membrorum dissolutio gravior est utriusque manus abscissione. Propter quod jubemus, si quidem tale aliquid delinquatur, unde leges mortem delinquentibus inferunt secundum legum virtutem sustinere eum pœnas. Si vero tale fuerit crimen quod morte dignum non sit, ipse aut castigetur aut in exilium transmittatur. Si vero criminis qualitas membri abscissionem exigat fieri : unam solam manum[46] abscindi. Pro furto autem nolumus omnino quodlibet membrum abscindi, aut mori, sed aliter eum castigari. Fures autem vocamus; qui occulte et sine armis hujusmodi delinquunt. Eos vero qui violenter aggrediuntur aut cum armis, aut sine armis, in domibus aut itineribus[47], aut in mari, pœnis eos legalibus subdi jubemus. Ut[48] autem non solum corporales pœnæ, sed etiam pecuniariæ mediocres fiant, sancimus eos, qui in criminibus accusantur, in quibus leges mortem aut proscriptionem definiunt : si convincantur, aut condemnentur, eorum substantias non fieri lucrum judicibus aut eorum officiis, sed neque secundum veteres leges fisco eas applicari, sed si quidem habeant descendentes et ascendentes usque ad tertium gradum, eos habere[49]. Si vero mulieres[50] habeant qui condemnati sunt : omnibus modis jubemus istas et dotem et antenuptialem donationem accipere. Si vero sine dote talibus personis conjunctæ fuerint : a legibus definitam[51] partem de tota substantia condemnati eas accipere : sive filios habeant, sive non. Si vero neminem prædictorum habeat qui deliquit : tunc fisco sociari ejus substantiam. In majestatis[52] vero crimine condemnatis, veteres leges servari jubemus.

EPILOGUS.

Providentiam igitur adhibeto gloria tua, ut præsentem sacram legem nostram, et in alma hac urbe proponat, et per provincias mittat insinuetque harum præsidibus, quo magis omnes subditi intelligant, quantam pro ipsis geramus providentiam. — Dat. kal. Maji *Constantinop.*, dom. JUSTIN. P. P. Aug. * BASIL. V. C. CONS.

43. L. 11, § 12, Dig. L. 27, L. 34, C. ad leg. Jul. de adult.— 44. Authent. Sed novo jure, C. de servis fugitiv. — 45. *Fac.* L. 3, C. d. t. — 46. *Fac.* N. 17, c. 8, pr; N. 22, c. 1, § 2, in fin.; N. Leon. 35, 2, Feud. 27, in pr. vers. si quis alium, et 28, in pr. vers. scriba vero.— 47. L. 25, § 10, D. de pœnis; N. Leon. 70. — 48. Authent. Bona damnatorum, C. de bon. pro script. — 49. N. 17, c. 12; *abrog.* L. 1, D. de bon. damn.; L. 4, C. de bon. proscript.; *vide tamen* L. 5, C. ad leg. Jul. majest.; N. 12, c. 1; N. 117, c. 30.— 50. L. 9, C. de bon. proscript.— 51. N. 117, c. 5. — 52. d. L. 5, C. ad leg. Jul. majest.

TIT. XVIII.

NE QUIS COGATUR BONIS[1] CEDERE.

NOVELLA CONSTIT. CXXXV.

PRÆFATIO.

Quibus maxime rebus divinum a nobis numen placari perhibetur, ea sane inter subditos jugiter incrementum accipere, atque elucescere contendimus. Zosarius quispiam ex Mysis oriundus cum lacrymis porrectis precibus nos edocuit, quod cum pecuniarum publicarum pariter et privatarum nomine conveniretur a clarissimo provinciæ præside per contumeliam, et quidem solam. Neque enim credidit de iis pecuniis propriarum rerum suarum persecutionis libellos oblatum iri, id quod injustissimum habetur, et inter ea capitula quæ cum primis adferunt molestiam. Ubi enim locorum justum est, ut is qui in universum excidenti, non supina negligentia res suas amisisse traditus esset, denuo per vim ad ignominiosam[2] vitam transponatur, et ad quotidiani victus, neque non (ut licet conjicere) amictus corporis inopiam adigatur?

CAP. I.

De his edocti, alacriterque cupientes id, quod deterius est, per melius corrigere, quo magis ea re omnium optimus Deus concilietur neque calamitosi aliquid nostris geratur, inque usu habeatur temporibus : sancimus, ut nemini gloriosissimorum aut magnificentissimorum magistratuum liceat rei causa cessionis bonorum necessitatem alicui eorum inferre, qui de prædictis causis *propter pecunias publicas forte, aut etiam privatas* judicium sustinent, aut hujusmodi contumeliis uti, ac prætextibus, perinde quasi dum corporis[3] supplicium ipsi re mittitur, maluerit rerum suarum amissionem capessere potius, quam cum inopiæ jugo itidem ad mortem usque premi opprobrio ignominiæ. Jusjurandum tamen per adoranda præbeat eloquia, *quod nullam rerum causa occasionem aut aurum reliquum habeat, unde æris alieni supplementum faciat.* Præterea, si qua ipsi jura lex vel ex hereditate, vel cognatorum donatione in rebus mobilibus præstet, in quarum possessione nondum constitutus sit, competere tamen ipsi videantur, possintque creditores vel partem ex iis, vel etiam totum colligere, extra tamen res uxoris, *siquidem revera ad illam pertineant*, hoc fiat, creditoribusque hujusmodi actionum vindicandi, et in personam ejus, qui aliquando jurium futurus sit dominus, actiones instituendi, sive præsens debitor est, sive non, et (ut simpliciter dicamus) quod ad actionem et vindicationem rerum consistendi in persona ejus, qui ita fuerit obnoxius, licentia sit.

EPILOGUS.

Diligens itaque et virtutis amans magnificentia tua, ea, quæ tam pie nobis placuerunt, observato : decem librarum auri multam ei, qui ex iis aliquid, quæ de his a nobis sancita sunt, transgredi præsumpserit, irrogans. Neque enim absque periculo erit, sed et vitæ periculum inferetur iis, qui vel sola cogitatione tenus ea quæ juste a nobis per hanc sacram exprimuntur legem, transilire attentaverint.— Dat. kal. Jun. *Constantinop.*, BELIS. V. C. CONS.

TIT. XIX.

DE ARGENTARIORUM[1] CONTRACTIBUS[2].

NOVELLA CONSTIT. CXXXVI.

PRÆFATIO.

Qui in corpore ac collegio consistunt argentariorum hujus almæ urbis, hi supplices apud potentiam nostram facti, de multis nos capitulis petierunt, potiri cupientes auxilio, ut qui in multis se utiles præbeant, *unde sponsiones et mutui obligationes periculo plenæ accedunt.* Nam cum sacra nostra existat constitutio[3], quæ vult, *ut exactiones ordine fiant, ac primum quidem principales rei, et res eorum excutiantur, deinde vero et fidejussores et mandatores neque non constitutæ pecuniæ rei :* ab hac legislatione ipsorum eximi consortium, et pati omnium gravissima, si ipsi quidem constitutionis auxilio uti nequeant, sed protinus exigantur : cum vero constitutæ pecuniæ obligationes ab aliis percipiant, non item ipsis satisfaciant, qui pecuniam constituerint mandatoresve in

TIT. XVIII. — 1. *Fac.* Lib. 42. D. 3; Lib. 7 C. 71. — 2. N. 4, c. 3, circa fin. pr.; *vide tamen* L. 11, C. ex quib. caus. infam. — 3. L. 1 et L. ult. in pr. C. qui bon. cedere.

TIT. XIX. — 1. *Adde* N. 4, in fin.; L. 2, in fin., C. de constituta pecunia. — 2. Edict Justin. 9. — 3. d. N. 4, c. 3, in fin.